

cap. 3. §. 11.) *Suo ipsius laqueo capi, Nostris ipsorum alis capimur* (cuius cur non ipsarum?) *Turdus ipse sibi malum cacat, Mala attrahens ad se, ut Cecias nubes, ut magnes lapis, Suo suere capiti, In tuum ipsius malum lunam deduces, Dares Entellum provocas, Atlas coelum suscepit, Corvus serpentem, Colubrum in sinu fovere, Capra gladium reperit, Camelus desiderans cornua etiam aures perdidit* (cui ad fine est illud *Prudentij* in Romano de Apolline, *Segnis bubulcus tela & ipsa perdidit*), *Alit luporum catulos, Tute hoc intristi, omne tibi exedendum est, Bos adversus seipsum pulverem movet, Movere Camarinam seu Anagyrum, Ova aspidum rumpere, Lepus nidum suum prodit &c.* Unde *Cicero lib. V. in Verr.* Sua confessione induatur ac juguletur necesse est. Et *Ovidius lib. II. Metam. v. 540.* *Lingua fuit damno, corvo nempe, de quo Horatius lib. I. epist. 17.*

Sed tacitus pasci si posset corvus, haberet plus dapis, & rixæ multò minus, invidiæque

Qui & ipse alibi (*lib. II. epist. 1. v. 220.*) dixit, *Ut vineta egomet cadam mea: quod est iterum apud Ovidium lib. II. Metam. v. 740. in mea pugno vulnera.*

LV. *Hunc comedendum (γ) & deridendum vobis propino* (v. 57. scilicet ult.). O miseram & contumeliosam, immò detrimetosam, amicitiam! Multi tamen ementuriant istud poenitere, ut cum aliis sint, qui soli esse non possunt. Nempe, quod *Böclerus* annotat, ne plane tristis è theatro discedat *Thraso*, parasiti *Gnathonis* ironicâ suffragatione in partem amoris meretricij recipitur, ne materia ridendi in eo deficeret, quem non ob aliud, quàm ut rideretur, Poëta fabulæ immiscuerat. Et in *Chrestomatiâ*: *Deridendum, imò deridendo despoliandum, voluit commendare sive procedere militem, sed præmisit ex disciplinâ consuetudinis suæ comedendum, & intulit sic quoq; artem, quam profitebatur, deridendum: donec*

(γ) apud *Justin. legimus, lacerandum se præbere lib. xxxiix, 5, ult. sich schinden lassen. Vide & Victorij lib. xv. V. L. c. 10. Confer & Beemans. Origg. in Limax.*